clariorem, ac celebriorem fecit. Eius
corpus per multa secula Ameriae in
cathedrali Ecclesia religiose cultum
Loyzus Epus Cremonensis circa annu
DCCCXL. Cremonam abstulit permit=
tente Amerino Epo ut per Loyzi gra=
tiam, quae summa apud Othonem pri=
mum Imperatorem erat, Imperatoris
ipsius animus iratus, infensusque sibi
placaretur. Corpus hodie quoque Cremo=
na in cathedrali Ecclesia sancte habe=
tur. Ne illud quidem antiquitatis di=
gnitatisque huius Ecclesiae postremum
argumentum fuerit, quod concilio Romae
apud Ecclesiam Sanctae Mariae maioris
Galliae atque Italiae Episcoporum ab Hila=
rio primo Pontifice Maximo habito,
in quo Eutichiana haeresis damnata
est, Hilarius Amerinus Epus interfuit.
MCXXX. ab hinc annis; ut credibile
sit, etiam latius multo ius, dictionemque
huius Ecclesiae olim patuisse, quae nunc
perangustis finibus concluditur.
Cathedralis Ecclesia in ipso sita montis

ca=

cacumine est, cuius undique clivum Urbs
ipsa aedificijs complectitur. isque etiam
locus divinitus electus creditur. Cum
enim sanctorum Firminae, et Olympiadis
Martirum corpora, admonito per quie=
tem Paschali Epo inventa, comportare
Ameriam, ac veteri templo inferre po=
pulus religiose accensus vellet, eaque
unde effossa erant nulla humana
ope amoveri possent idem Epus caelesti
spiritu instinctus, plaustro imponi, atque
ei geminas iuvencas iungi imperavit,
summotisque ductoribus, arbitrium tra=
hendi quo vellent, Vaccis permisit; quae
ducente nemine ad octo milia passuum
sponte progressae, Ameriam intrarunt; perque
ardua collis connixae cum in summum
iugum evasissent locum Ecclesiae aedi=
ficandae commostrasse credita sunt;
statimque eius fundamenta sunt iacta.
idque accidit circa annum DCCCXX.
Et quo inde sacris reliquijs plus ho=
noris haberetur in eam Cathedralis
sedes est translata. In hac igitur Ecclia

ma=